GRATULATIO
NOVI ANNI
QVA
VIRUM *PRÆCLARISSIMUM*
nec non *DOCTISSIMUM*
DNUM. DNUM.
M. MARTINUM
BÖHM/
GYMN. THORUN. P.P.

excipere voluit

Biga

Alumnorum Gymnasii Thoruniensis.

THORUNII typis excudit Christianus Bekk.

Immensas tandem superasti fluminis undas,
Appulit ad tutos & tua cymba locos.
Æolus est victus, fluctus post terga relicti,
Emensa est tumidas naufraga puppis aqvas.
Scilicet antiqvus cessit feliciter annus,
Et temone instat prosperiore novus.
Annus tristitiæ satur atra nube qviescit
Exactus, fausto lux pede grata venit.
Lux nova luxurians magnas promittit abunde
Prosperitatis opes, lætaq; fata creat.
Ecce novis Phœbus qvadrigis gestit in axe,
Et faustos læto nunciat ore dies.
Ecce dies oritur niveo signanda lapillo,
Causa voluptatis qvæ mihi dulcis erit.
Læta dies qvæ me subtristem in gaudia solvit,
Qvæq; jubet lætis verba ligare metris.
Mens mea Te merito qvare non mactet honore?
Cur Tibi Germano non mea Musa canat?
Qvam Tu doctrinæ fœcundo rore rigasti,
Præceptis & adhuc imbuis atq; foves.
Qvi mihi jejuno jucunda alimenta dedisti,
Et manus ad dandum semper aperta fuit.
Qvi me mulsisti multo potuq; ciboq;,
Munificas bonitas nec renuebat opes.
Visenti tractus alieno Sole calentes,
Instar sollicici Tu mihi Patris eras.
Munera si repeto, tacita si mente revolvo,
Ob numerum magnum vix numerare qveo.
Vota igitur cordis summis deducta medullis
Accipe, nec vultu respue, qvæso, truci.
Accipe mente pia, & Tibi qvod metire Minerva
Offert, non re, sed dexteritate mea.
Ite igitur nebulæ, mœstæ discedite curæ,
Et redeant plausus pectus in omne novi
Fortunæ eludas creperæ ratione procellas
Telaq;, qvæ possunt, frange, nocere tibi.

Morbus

Morbus adhæc nulla vi corporis intret in artus,
Tempora lætus agens, ſis memor, oro, mei.
Ut poſſis in me transfundere Sacra Minervæ,
Neve ſinas donis impoſuiſſe manus.
Lumine qvo valeam patrios ornare Penates,
Qvo Patriæ fiam firma columna meæ.
Et licet abſens ſim, noſtri non abjice curam,
Obſecro, ſis ſtudii Duxq; Comesq; mei.
Eſto memor, qvamvis longa regione remoti
Olim, Tu ingenio ſemper adeſto meo.
Aſt Tu, qvi torqves cœleſtes viribus orbes,
Tu ſpes cœleſtis ſubſidiumq; meum.
Efficias fixos plauſus, & gaudia firma,
Iſte Tibi ex voto totus ut annus eat.
Annus ut optatam poſſit contingere metam,
Dulcia cuncta ferens ut ſine labe fluat.
Suſceptos qvosvis fortunet rite labores,
Conatusq; tuos ipſe favore levet.
Proſpera Te ſemper maneat fortuna, nec unqvam
Affligant mentem fata maligna tuam.
Annoſi lætos attingas Neſtoris annos,
Sæpeq; felices cerne redire dies.
Sum ſpecimen ſucco poſt cum majore daturus,
Si dabit ætatem qvi tenet aſtra DEUS.
Copia ſi fuerit pugnare in Palladis arce,
Effundam in pectus gaudia plura tuum.
Semper honore meo, ſemper celebrabere verſu,
Donec in hoc aliqvis corpore ſenſus erit.

gratulabundus appoſuit

JOHANNES Böhm/ Paſſenh. Pruſſ.

Vertitur en iterum fax omnipotentis Olympi,
Gaudia multa ferens & novus annus adeſt.
Qvid Tibi nunc mittam? qva nunc ratione Magiſter,
Eximias operas condecorabo tuas.
Fulva metalla mihi deſunt nitidiq; lapilli,
Qvos mihi ſvaderet candor amorq; dare.
Nam Tu Sol meus es, qvi mente repellis ab iſta
Ipſe meum, tenebras, qvas habet ingenium.

Erra-

Errantem Tu me per rectum ducis Hodegum
Et monstras veram ad dogmata dia viam.
Spernitur omnis honos, Musæ, partusq; qviescnnt,
Neglecti illius, hoc qvid nisi barbaries.
Sed firmam capio spem, fidens corq; resumam,
Dum mihi cum tali res sit habendo VIRO.
Qvi multum tribuit Musis doctisq; Camœnis
Imo qvi semper par Tibi, Clio, cluet.
Ergo meos Elegos properabo, precesq; ciebo,
Proq; salute Tua plurima vota dabo.
Anni qvod veteris cædes, discrimina, casus
Salvus, dante DEO, jam superata vides.
In qvo multa cohors lucem clausere supremam,
Multi Marte, metu succubuere gravi
Hic terram vertit peregrino Sole calentem,
Iste flet, hostiles effugit ille manus.
Ut tribuam reliqvis jam sacra silentia rebus,
Qvæ tristi carpant gaudia nostra sono.
Carmine nam præstat factos componere motus,
Et bona qvæ fecit commemorare DEI.
Scil icet ille solo mala tanta removit ab isto,
Concessit terris secla qvieta suis.
Ille novas unà dedit hos Tibi cernere Soles,
Et firmas vires, qveis tolerare qveas.
Qvos suscepisti duros multosq; laborem,
Crescat ut ex illis gloria magna DEI.
Ut qvævis natos capiat Respublica dignos
Ut fidos servos turba tenella DEI.
Vive VIR o magni pars major vive Lycei,
Atq; novos anni concelebrato dies.

lætus canere voluit

Daniel Gamius, Cæsareoforensis Hung.